
LIBER SEXTUS.

ARGUMENTUM.

CAP. I. *De quattuor vitiis capillorum, fluxu, porrigine, sycosi & area.* CAP. II. *De tribus vitiis faciei, varis, lenticulis & ephelidibus.* CAP. III. *De oculorum vitiis.* SECT. I. *De gravioribus oculorum morbis, qui lenibus medicamentis curantur, de pituita cum variis contra eam collyriis; de oculorum carbunculis, pustulis, ulceribus, imminutione, palpebrarum pediculis.* SECT. II. *De gravioribus oculorum morbis qui validioribus medicamentis curantur, cujus modi sunt morbi ex inflammatione orti, arida lippitudo, scabrities, caligo, suffusio, resolutio, mydiasis & imbecillitas.* SECT. III. *De oculorum laesione extrinsecus.* CAP. IV. *De aurium vitiis.* SECT. I. *De aurium dolore, pure & malo odore, ulcere, vermibus, foramine compresso.* SECT. II. *De gravi auditu, de sonitu aurium.* SECT. III. *Quia ea extrahantur que in aurem incidentur.* CAP. V. *De narium morbis.* CAP. VI. *De oris vitiis.* SECT. I. *De dentium dolore.* SECT. II. *De tonsillis.* SECT. III. *De oris ulceribus.* SECT. IV. *De linguae ulceribus.* SECT. V. *De parulidibus.* SECT. VI. *De gingivarum ulceribus.* SECT. VII. *De uve morbo.* SECT. VIII. *De cancro oris.* CAP. VII. *De parotidibus.* CAP. VIII. *De umbilico prominente.* CAP. IX. *De obscenarum partium vitiis.* SECT. I. *De colis morbis.* SECT. II. *De testiculorum morbis.* SECT. III. *De ani morbis tribus, Rhagadiis, condylomate & hemorrhoidibus.* CAP. X. *De digitorum ulceribus.*

C A P U T P R I M U M.

Dixi de his vitiis, quæ per totum corpus orientia, medicamentorum auxilia desiderant: nunc ad ea veniam quæ non nisi in singulis partibus incidere consuérunt, orsus a capite.

1º. In hoc igitur capillis fluentibus maximè quidem sëpe radendo succurritur. Adjicit autem vim quamdam ad continentum ladanum cum oleo mistum. Nunc de his capillis loquor, qui post morbum ferè fluunt: nam quo minùs caput quibusdam ætate nudetur, succurri nullo modo potest.

2º. Porrigo autem est, ubi inter pilos quædam quasi squamulae surgunt, eæque a cute resolvuntur, & interdum madent; multo sæpius siccæ sunt: idque evenit modò sine ulcere, modò exulcerato loco; huic quoque modò malo odore, modò nullo accedente: feréque id in capitis pilo sit, rariùs in barba, aliquando etiam in supercilio. Ac neque sine aliquo corporis vitio nascitur, neque ex toto inutile est: nam, bene integro capite, non exit. Ubi aliquod in eo vitium est, non incommodum est, summam cutem potius subinde corrupti, quām id quod nocet, in aliam partem magis necessariam verti.

Commodius est ergo subinde peccando repurgare, quām id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium offendit, quod, humore sequente, fieri potest, magisque si is etiam mali odoris est, caput sëpe radendum est; deinde id super adjuvandum aliquibus ex leviter repräsentibus, quale

est nitrum cum aceto, vel ladanum cum myrteo & vino, vel myrobalanum cum vino. Si parum per haec proficitur, vehementioribus uti licet, cum eo, ut sciamus, utique in recenti vitio id inutile esse.

3°. Est etiam ulcus, quod a fici similitudine σύρατος a Graecis nominatur: caro excrescit; & id quidem generale est. Sub eo vero duæ species sunt: alterum ulcus durum & rotundum est, alterum humidum & inæquale. Ex duro exiguum quiddam & glutinosum exit; ex humido plus, & mali odoris. Fit vero utrumque in his partibus quæ pilis conteguntur: sed id quidem quod callosum & rotundum est, maximè in barba; id vero quod humidum, præcipue est in capillo.

Super utrumque oportet imponere elaterium, aut lini semen contritum aut aquâ coctum, aut ficum in aqua decoctam, aut emplastrum tetrapharmacum ex aceto subactum: terra quoque Eritria ex aceto liquata recte illinitur.

4°. Arearum quoque duo genera sunt. Commune utriusque est, quod, emortuâ summâ pellicula, pili primum extenuantur, deinde excidunt: ac si ictus is locus est, sanguis exit liquidus & mali odoris. Increscit utrumque in aliis celeriter, in aliis tardè: pejus est quod densam cutem & subpinguem ex toto glabram facit: sed ea quæ ἀλοτεινά nominatur, sub qualibet figurâ dilatatur. Fit & in capillo, & in barba. Id vero quod a serpentis similitudine ὕειατος appellatur, incipit ab occipito: duorum digitorum latitudinem non excedit; ad aures duobus capitibus serpit, quibusdam

busdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priorem partem committant. Illud vitium in qualibet ætate est, hoc ferè in infantibus. Illud vix umquam sine curatione, hoc per se sæpe finitur.

Quidam hæc genera arearum scalpello exasperant: quidam illinunt adurentia ex oleo, maximè chartam combustam: quidam resinam terebinthinam cum Thapsia inducunt. Sed nihil melius est quam novaculâ quotidie radere, quā, quum paullatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculae: neque antè oportet desistere, quam frequentem pilum nasci apparuit. Id autem quod subinde raditur, illini atramento scriptorio satis est.

CAPUT SECUNDUM.

1º. PÆNE ineptiæ sunt, curare Varos & Lenticas & Ephelidas: sed eripi tamen feminis cura cultūs sui non potest. Ex his autem quæ suprà proposui, Vari lenticulæque vulgo notæ sunt: quamvis rario ea species est quam ξενία Græci vocant, quum sit ea lenticulâ rubicundior & inæqualior. Εξαιτίας verò a plerisque ignoratur, quæ nihil est nisi asperitas quædam & durities mali coloris. Cætera non nisi in facie, lenticula etiam in alia parte non numquam nasci solet: de qua per se scribere alio loco, visum operæ pretium non est.

2º. Sed Vari commodissimè tolluntur impositâ resinâ, cui minus quam ipsa est, aluminis scissilis, & paullum mellis adjectum est.

O

Lenticulam tollunt galbanum & nitrum , quum pares portiones habent , contritáque ex acéto sunt , donec ad mellis crassitudinem vénérint. His corpus illinendum , & interpositis pluribus horis , mane eluendum est , oleóque leviter ungendum.

Ephelidem tollit resína , cui tertia pars salis fossilis , & paullum mellis adjectum est.

3°. Ad omnia verò ista , atque etiam ad colorandas cicatrices prodest ea compositio , quæ ad Tryphonem patrem autorem refertur. In ea pares portiones sunt myrobalani , crocomaggmatis , cræ Cimoliae subcæruleæ , nucum amararum , farinæ hordei atque ervi , struthii albi , sertulæ Campanæ seminis. Quæ omnia contrita melle quam amarissimo coquuntur , illitumque a vespere usque mane eluitur.

C A P U T T E R T I U M.

S E D HÆC quidem mediocria sunt : ingentibus verò & variis casibus oculi nostri patent ; qui quum magnam partem ad vitæ siuñ & usum & dulcedinem conferant , summâ curâ tuendi sunt.

SECT. I. 1°. Protinus autem , ortâ lippitudine , quedam notæ sunt ex quibus quid eventurum sit , colligere possumus. Nam si simul & lacrima , & tumor , & crassa pituita cœperint , si ea pituita lacrimæ mista est , & ea lacrima calida est , pituita verò alba & mollis , tumor non durus ; longæ valetudinis metus non est. At si lacrima multa & calida , pituitæ paullum , tumor modicus , idque in uno oculo est , longum id , sed sine periculo , futurum est :

idque lippitudinis genus minimè cum dolore est, sed vix ante vicesimum diem tollitur. Non numquam per duos menses durat, sed quandoque finitur, si pituita alba & mollis esse incipit, lacrimæque miscetur. At si simul eæ utrumque oculum invaserunt, potest esse brevior, sed periculum ulcerum est. Pituita autem sicca & arida dolorem quidem movet, sed maturius desinit, nisi quid exulceravit.

Tumor magnus si sine dolore est & siccus, sine ullo periculo est: si siccus quidem, sed cum dolore est, ferè exulcerat, & non numquam ex eo casu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur.

Ejusdem exulcerationis timor in palpebris pupillosive est, ubi super magnum dolorem lacrimæ salsæ calidæque eunt; aut etiam si tumore jam finito diu lacrima cum pituitâ profluit.

Pejus etiam non paullo est, ubi pituita pallida aut livida est, lacrima calida aut multa profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget; siquidem sub his oculis plerumque rumpitur, votumque est, ut tantum exulceretur. Intus ruptum oculum febricula juvat. Si foras jam ruptus procidit, sine auxilio est. Si de nigro aliquid albidum factum est, diu manet: at si asperum & crassum est, etiam post curationem vestigium aliquod relinquit.

2°. CURARE vero oculos sanguinis detractione, medicamento, balneo, fotu, vino vetustissimo auctor Hippocrates memoriae prodidit: sed eorum tempora & causas parum explicuit, in quibus Medicina summa est. Neque minus in abstinentia & aly-

ductione s^epe auxilii est. Hos igitur interdum inflammatio occupat , ubi cum tumore in his dolor est , sequiturque pituita cursus non numquam copiosior vel acrior , non numquam utraque parte moderatior : in ejus modi casu prima omnium sunt quies & abstinentia. Ergo primo die loco obscuro cubare debet , sic ut a sermone quoque abstineat : nullum cibum assumere , si fieri potest , ne aquam quidem ; sin minus , certe quam minimum ejus.

Quod si graves dolores sunt , commodius secundo die , si tamen res urget , etiam primo , sanguis mittendus est ; utique si in fronte vena tument , si firmo corpori materia supereat. Si vero minor impetus minus acrem curationem requirit ; alvum , sed non nisi secundo tertiove die , duci oportet. At modica inflammatio neutrum ex his auxilium desiderat , satisque est uti quiete & abstinentia.

Neque tamen lippientibus longum jejunium necessarium est , ne pituita tenuior atque acrior fiat : sed secundo die dari debet id quod levissimum videri potest ex his , quae pituitam faciunt crassiorum , qualia sunt ova sorbilia : si minor vis urget , pulicula quoque , aut panis ex lacte. Insequentibus diebus , quantum inflammationi detrahetur , tantum adjici cibis poterit , sed generis ejusdem : utique ut nihil salsum , nihil acre , nihil ex his quae extenuant , sumatur ; nihil potui praeter aquam. Et vietus quidem ratio talis maxime necessaria est.

Protinus autem primo die croci P. i. * , & fastinæ candidæ quam tenuissimæ P. ii. * . excipere

•portet ovi albo , donec mellis crassitudinem ha-
beat ; idque in linteolum illinere , & fronti agglu-
tinare , ut compressis venis pituitae impetum co-
hibeat . Si crocum non est , tus idem facit . Lin-
teolo an lanâ excipiatur , nihil interest . Super-
inungi verò oculi debent , sic ut croci quantum
tribus digitis comprehendendi potest , sumatur ; myrra-
hæ ad fabæ , papaveris lacrimæ ad lenticulæ
magnitudinem ; eaque cum passo conterantur , &
specillo super oculum inducantur .

Aliud ad idem : myrrhæ P. i. *. mandragoræ
succi P. ii. *. papaveris lacrimæ P. ii. *. foliorum
rosæ , cicutæ seminis , singulorum P. iii. *. aca-
ciæ P. iv. *. gummi P. viii. *. Et hæc quidem
interdiu : noctu verò , quod commodior quiesce-
nit , non alienum est superimponere candidi panis
interiore partem ex vino subactam : nam & pi-
tuïtam reprimit , & si quid lacrimæ processit , ab-
sorbet , & oculum glutinari non patitur .

Si grave id & durum propter magnum oculo-
rum dolorem videtur , ovi & album & vitellus
in vas defundendum est , adjiciendumque eo
mulsi paullum , idque digito permiscendum . Ubì
facta unitas est , demitti debet lana mollis bene
carpta , quæ id excipiat , superque oculos im-
poni . Ea res & levis est , & refrigerando pitui-
tam coerget , & non exarescit , & glutinari ocu-
lum non patitur .

Farina quoque hordeacea cocta , & cum malo
cotoneo cocto mixta commode imponitur : neque ab
ratione abhorret etiam penicillo potissimum uti ex-
presso , si levior impetus est , ex aqua ; si major ,

O iiiij

ex posca. Priora fasciâ deliganda sunt , ne pér somnum cadant ; & hoc superimponi satis est , quia & reponi ab ipso ægro commodè potest ; & quum inaruit , iterum madefaciendum est.

Si tantum mali est , ut somnum diu prohibeat , eorum aliquod dandum est quæ ἀναδίψα Græci vocant : satisque est puerō quod ervi , viro quod fabæ magnitudinem impleat. In ipsum verò oculum primo die , nisi modica inflammatio est , nihil rectè conjicitur : sæpe enim potius concitatur eo pituita quam minuitur. At secundo die gravi quoque lippitudini per indita medicamenta rectè succurritur , ubi vel jam sanguis missus , vel alvus ducta est ; aut ubi neutrum necessarium esse manifestum est.

3°. Multa autem multorumque auctorum collyria ad id apta sunt , novisque etiani nunc misturis temperari possunt , quum lenia medicamenta & modicè reprimentia facilè & variè misceantur. Ego nobilissima exsequar.

Est igitur Philônisi , quod habet cerussæ clôtæ , spodii , gummi , singulorum P. I. *. papaveris lacrimæ combustæ P. I. *. Illud scire oportet , hæc quoque omnia medicamenta , singula primum per se teri , deinde mixta , iterum adjectâ paullatim vel aquâ vel alio humore. Gummi quum quasdam alias facultates habeat , hoc maximè præstat , ut ubi collyria facta inaruerunt , glutinata sint , ne que frientur.

Dionysii verò collyrium est. Papaveris lacrimæ combustæ , donec tenerescat , P. I. *. thuris combusti , gummi , singulorum P. II. *. spodii P. IV. *.

Cleonis nobile admodum est. Papaveris lacrimæ frictæ P. I. *. croci P. I. *. gummi P. V. *. quibus, quum teruntur, adjicitur rosæ succus.

Aliud ejusdem valentius : squamæ chalybis quod σόμαριa appellant, P. I. *. croci P. II. *. spodii P. IV. *. plumbi & elotii & combusti P. VI. *. gummi tantumdem.

Attalium quoque ad idem est, maximè ubi multa pituita profluit. Castorei P. *. I. aloës P. I. *. myrrhæ P. II. *. lycii P. III. *. Cadmia curatæ P. VIII. *. stibii tantumdem, acaciæ succi P. XII. *. quod cum gummi miscueris succo, in pyxidula servetur. Theodótus verò huic compositioni adjectit papaveris lacrimæ combustæ P. I. *. æris combusti & elotii P. II. *. nucleorum palmarum combustorum numero xx. *. gummi P. XII.

At ipsius Theodóti, quod a quibusdam αχάριστο nominatur, ejus modi est. Castorei, nardi Indici, singulorum P. I. *, lycii P. II. *. papaveris lacrimæ tantumdem, myrrhæ P. II. *. croci, cerussæ elotæ, aloës, singulorum P. III. *. Cadmia, botryoidis elotæ, æris combusti, singulorum P. VIII. *. gummi P. XVIII. *. acaciæ succi P. XX. *. stibii tantumdem ; quibus aqua pluviatilis adjicitur.

Præter hæc ex frequentissimis collyriis est id quod quidam Cythion, quidam a cinereo colore Tephrión appellant. Habet amyli, tragacanthæ, acaciæ succi, gumimi, singulorum P. I. *. papaveris lacrimæ P. II. *. cerussæ elotæ P. IV. *. spuma argenti elotæ P. VIII. quæ æquæ ex aqua pluviatili conteruntur.

Euelpides autem qui ætate nostrâ maximus fuit

O iv

ocularius medicus, utebatur eo quod ipse composuerat: *Trygodes* nominabat. Habet autem hoc castorei P. ii. *. lycii, nardi, papaveris lacrimæ, singulorum P. i. *. croci, myrrhæ, aloës, singulorum P. iv. *. æris combusti P. viii. *. Cadmiae & stibii, singulorum P. xii. *. acaciæ succi P. xxvi. *. gummi tantumdem.

4°. Quo gravior verò quæque inflammatio est, eo magis leniri medicamento deberet, adjecto vel albo ovi, vel muliebri lacte. At si neque medicus, neque medicamentum præsto est, sæpius utrumlibet horum in oculos penicillo ad id ipsum factò infusum, id malum lenit.

Ubi verò aliquis relevatus est, jamque cursus pituitæ constitit, reliquias, fortasse leniores futuras, discutunt balneum & vinum. Igitur lavari debet leviter, antè ex oleo perfribatus, diutiusque in cruribus & feminibus; multaque calidâ aquâ fovere oculos, deinde per caput priùs calidâ, tum egeiidâ perfundi: a balneo cavere, ne quo frigore afflatusve lædatur: posthæc cibo paullo pleniore, quam ex eorum dierum consuetudine, uti: vitatis tamen omnibus pituitam extenuantibus. Vinum bibere (lene) subausterum, modicè vetus, neque effusè neque timidè; ut ne qua cruditas ex eo, & tamen somnus fiat, lenianturque intus latenter acria.

Sed si quis in balneo sensit majorem oculorum perturbationem quam attulerat, quod incidere his solet qui, manente adhuc pituitæ cursu, festinareunt; quam primum discedere debet, nihil eodie vini assumere, cibi minus etiam quam pridie.

Deinde quum primū satis pituita substitut, iterum ad usum balnei redire.

Solet tamen evenire non numquam, sive tempestatum vitio sive corporis, ut pluribus diebus neque dolor neque inflammatio, & minimè pituitæ cursus finiatur. Quod ubi incidit, jamque ipsa vetustate res matura est, ab eisdem auxilium petendum est, id est balneo ac vino. Hæc enim ut in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possunt & accendere; sic in veteribus quæ nullis aliis auxiliis cesserunt, admodum efficacia esse consuerunt: videlicet hic quoque ut alibi, quum secunda vana fuerint, contrariis adjuvantibus. Sed antè tonderi ad cutem convenient; deinde in balneo aquâ calidâ quam plurimâ caput atque oculos fovere; tum utrumque penicillo detergere, & ungere caput irino unguento: contineréque in lectulo se, donec omnis calor qui conceptus est, finiatur, desinatque sudor qui necessariò in capite collectus est. Tum ad idem cibi vinique genus veniendum est, sic uti potionēs meracæ sint, obtegendumque caput, & quiescendum. Sæpe enim post hæc gravis somnus, sæpe sudor, sæpe alvi, dejeccio pituitæ cursum finit.

Si levatum malum est, quod aliquando seriùs fit, per plures dies idem fieri oportet, donec ex toto sanitas restituatur. Si diebus eisdem alyus nihil reddit, ducenda est, quo magis superiores partes leventur.

Non numquam autem ingens inflammatio tanto impetu erupit, ut oculos suâ sede propellat: ἐποπλαστική id, quoniam oculi procidunt, Græci

appellant. His utique , si vires patiuntur , sanguinem mitti ; si id fieri non potest , alvum duci , longioremque inedia m̄ indici necessarium est. Opus autem lenissimis medicamentis est : ideoque Cleonis collyrio quidam quod duobus antepositum est , utuntur : sed optimum est Nilei : neque de ullo magis inter omnes auctores convenit.

Id habet nardi Indici , papaveris lacrimæ , singulorum P. i. *. gummi P. i. *. croci P. ii. *. foliorum rosæ recentium P. iv. *. quæ vel aqua pluviatili , vel vino subaustrero coguntur. Neque alienum est malicorium , vel sertulam Campanam ex vino coquere , deinde conterere , aut myrrham nigram cum rosæ foliis miscere , aut hyoscyami folia cum ovi cocti vitello , aut farinam cum acaiae succo , vel passo , aut mulso : quibus si folia quoque papaveris adjiciuntur , aliquanto valentiora sunt. Horum aliquo preparato , penicillo fovere oculos oportet ex aquâ calidâ expresso ; in qua ante vel myrti vel rosæ folia decocta sint : deinde ex illis aliquid impóni. Præter hæc ab occipito incisâ cute , cucurbitula admovenda est.

Quod si per hæc restitutus oculus in sedem suam non est , eodemque modo prolapsus permanet , scire oportet lumen esse amissum ; deinde futurum ut indurescat is , aut in pus vertatur.

4º. Si suppuratio se ostendit ab eo angulo qui propior tempori est , incidi oculus debet , ut , effuso pure , & inflammatio ac dolor finiatur , & intus tunicae residant , quo minus fœda postea facies sit. Utendum deinde vel iisdem collyriis est ex lacte

sut ovo, vel croco cui album ovi misceatur. At si induruit & sic emortuus est; ne in pus vertatur, quatenus fœdè prominebit, excindendus erit, sic ut hamo summa tunica apprehendatur: infrā id deinde scalpellus incidat; tum eadem medicamenta erunt conjicienda, donec omnis dolor finiatur. Iisdem medicamentis in eo quoquē oculo utendum est, qui prius procidit, deinde per plura loca fissus est.

5°. Solent etiam carbunculi ex inflammatione nasci, non numquam in ipsis oculis, non numquam in palpebris: & in his ipsis oculis modò ab interiore parte, modò ab exteriore. In hoc casu alvus ducenda est, cibus minuendus, lac potui dandum, ut acria quæ læsérunt, leniantur. Quod ad cataplasma & medicamenta pertinet, his utendum quæ adversùs inflammations proposita sunt. Atque hic quoque Nilei collyrium optimum est: sī tamen carbunculus in exteriore palpebræ parte est, ad cataplasma aptissimum est lini semen ex mulso coctum: aut si id non est, tritici farina eodem modo cocta.

6°. Pustulae quoque ex inflammationibus interdum oriuntur. Quod si inter initia protinus incidit, magis etiam servanda sunt, quæ de sanguine & quiete suprà proposui: sin seriùs quām ut sanguis mitti possit, alvus tamen ducenda est: si id quoque aliqua res inhibet, utique vietiūs ratio servanda est: medicamentis autem huic quoque lenibus opus est, quale Nilei, quale Cleonis est.

Id quoque quod Philaléthis vocatur, huic aptum est. Myrræ, papaveris lactimæ, singulorum

O vij

P. i. *. plumbi eloti , terræ Samiae quæ *ασηπ* vocatur , tragacanthæ , singulorum P. iv. *. stibii coeti , amyli , singulorum P. vi. *. spodii eloti , cerusæ elotæ , singulorum P. viii. *. Quæ aqua pluvia tili excipiuntur . Usus collyrii vel ex ovo , vel ex lacte est .

7°. Ex pustulis ulcera interdum fiunt : ea recentia æquè lenibus medicamentis nutrienda sunt , & iisdem ferè quæ suprà in pustulis posui . Fit quoque propriè ad hæc quod *διαλεξίς* vocatur . Habet æris combusti & eloti , papaveris lacrimæ frictæ , singulorum P. i. *. spodii eloti , turis , stibii combusti & eloti , myrræ , gummi , singulorum P. ii. *.

8°. Evenit etiam ut oculi vel ambo , vel singuli , minores fiant quam è naturaliter debeant : idque & acer pituitæ cursus in lippitudine efficit , & continuati fletus , ictus parum bene curati .

In his quoque iisdem lenibus medicamentis ex muliebri lacte utendum est ; cibis verò his qui maximè corpus alere & implere consuérunt : vitan daque omni modo caussa quæ lacrimas excitet , curaque domesticorum ; quorum etiam si quid tale incidit , ejus notitia subtrahendum : atque acria quoque medicamenta & acres cibi non alio magis nomine his nocent , quam quod lacrimas mouent .

9°. Genus quoque vitii est , quum inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur : id *φθεγγίασιν* Græci nominant . Quod quum ex malo corporis habitu fiat , raro non ultrà procèdit . Sed ferè tempore interposito , pituitæ cursus acerrimus sequitur , exul-

Ceratisque vehementer oculis, aciem quoque ipsam corruptit.

His alvus ducenda est, caput ad cutem tondendum, diuque quotidie jejunis perfricandum. His, ambulationibus aliisque exercitationibus diligenter utendum, gargarizandumque ex mulso in quo nepeta & pinguis ficus decocta sit: sæpe in balneo multâ calidâ aquâ fovendum caput: vitandi acres cibi, lacte vinoque pingui utendum, bibendum que liberalius quam edendum est.

Medicamenta verò intus quidem lenia danda sunt, ne quid acrioris pituitæ concident. Super ipsos verò pediculos alia, quæ necare eos & prohibere ne similes nascantur, possint. Ad id ipsum spumæ nitri P. I. *. sandarachæ P. I. *. uvæ taminiæ P. I. *. simul teruntur, adjiciturque vetus oleum pari portione, atque acetum, donec ei mellis crassitudo sit.

SECT. II. Hactenus oculorum morbi lenibus medicamentis curantur: genera deinde alia sunt, quæ diversam curationem desiderant, feréque ex inflammationibus sunt; sed, finitis quoque his, manentia.

1º. Atque in primis in quibusdam perseverat tenuis pituitæ cursus; quibus alvus ab inferiore parte evocanda est, demendum aliquid ex cibo. Neque alienum est illini frontem compositione Andréæ, quæ habet gummi P. I. *. cerussæ, stibii, singulorum P. II. *. spumæ argenti & coctæ & elotæ P. IV. *. Sed & ea spuma ex aqua pluviatili coquitur, & arida hæc medicamenta ex succo myrti conteruntur. His illitâ fronte, cataplasma quoque

super injiciendum ex farina quæ frigidâ aquâ coacta sit , cuique aut acaciæ succus , aut cupressus adjecta sit.

Cucurbitula quoque inciso vertici rectè accommodatur , aut ex temporibus sanguis emititur. Inungi verò eo debet quod habet squamæ æris , papaveris lacrimæ , singulorum P. i. *. cervíni cornu combusti & elotii , plumbi elotii , gummi , singularum P. iv. *. turis P. xii. *. Hoc collytum , quia cornum habet , δια κέρατος nominatur. Quotiescumque non adjicio quod genus humoris adjicendum sit , aquam intelligi volo.

Ad idem Euelpidis , quod is μημυλένον nominabat. In eo papaveris lacrimæ & albi piperis singulæ unciæ sunt , gummi libra , æris combusti P. i. *. Inter has autem curationes , post intermissionem aliquam prosunt balneum & vinum. Quumque omnibus lippientibus vitandi cibi sunt qui extenuant , tum præcipue his quibus tenuis humor diu fertur. Quòd si jam fastidium est eorum quæ pituitam crassiorem reddunt (sicut in hoc genere materiae maximè promptum est) confugendum est ad ea quæ , quia ventrem , corpus quoque adstringunt.

2º. At ulcera , si cum inflammatione finita non sunt , aut supercrescentia , aut cava , aut certè vetera esse consûrunt. Ex his supercrescentia collyrio quod Memigmenon vocatur , optimè reprimuntur : sordida purgantur & eodem , & eo quod Smilion nominatur. Habet æruginis P. iv. *. gummi tantumdem , ammoniaci , minii Sinopici , singularum P. xvi. *. Quæ quidam ex aqua , qui-

dam, quo vehementiora sint, ex aceto terunt.

Id quoque Euelpidis, quod *Phynona* appellabat, huic utile est. Croci P. 1. *. papaveris lacrimæ, gummi, singulorum P. 11. *. æris combusti & elotii, myrrhae, singulorum P. 1V. piperis albi P. VI. *. Sed ante illo, tum hoc intungendum est.

Id quoque ejusdem, quod *Sphaerion* nominabat, in eodem valet. Lapidis hæmatitis elotii P. 11. *. piperis grana sex, Cadmiaæ elotæ, myrrhae, papaveris lacrimæ, singulorum P. 111. *. croci P. IV. *. gummi P. VIII. *. Quæ cum vino Aminæ conteruntur.

Liquidum quoque medicamentum ad idem componebat, in quo hæc erant. Æruginis P. *. misyos combusti, atramenti sutorii, cinnamomi, singulorum P. 111. *. croci, nardi, papaveris lacrimæ, singulorum P. 1. *. myrrhae P. 11. *. æris combusti P. 111. *. cineris ex oleribus P. IV. *. piperis grana XV. Hæc ex vino austero teruntur: deinde cum passi tribus heminis decoquuntur, donec corpus unum sit: idque medicamentum vetustate efficacius fit.

Cava verò ulceræ commodissimè implet ex his quæ suprà posita sunt, *Sphaerion*, & id quod Philaléthis vocatur.

Idem *Sphaerion* vetustis ulceribus, & vix ad cicatricem venientibus, optimè succurrit.

Est etiam collyrium quod, quum ad plura valeat, plurimum tamen proficere in his ulceribus videtur: referit ad Hermonem auctorem. Habet piperis longi P. 1. 2. *. albi P. V. *. cinnamomi, costi,

singulorum P. i. *. atramenti sutorii , nardi , cassiae , castorei , singulorum P. ii. *. gallæ P. v. *. myrrhæ , croci , turis , lycii , cerussæ , singulorum P. viii. *. papaveris lacrimæ P. xii. *. aloës , æris combusti , Cadmiaæ , singulorum P. xvi. *. acaciae , stibii , gummi , singulorum P. xxv. *.

Factæ verò ex ulceribus cicatrices duobus vitiis periclitantur , ne aut cavæ aut crassæ sint. Si cavæ sunt , potest eas implere id quod sphærion vocari dixi , vel id quod *Asclepias* nominatur. Habet papaveris lacrimæ P. ii. *. sagapeni , opopanacis , singulorum P. iii. *. æruginis P. iv. *. cumini P. viii. *. piperis P. xii. *. gummi , Cadmiaæ elotæ , cerussæ , singulorum P. xvi. *.

At si crassæ cicatrices sunt , extenuat vel Smilion , vel Canopite collyrium quod habet cinnamomi , acaciae , singulorum P. i. *. Cadmiaæ elotæ , croci , myrrhæ , papaveris lacrimæ , gummi , singulorum P. ii. *. piperis albi , turis , singulorum P. iii. *. æris combusti P. ix. *. cum aqua pluviatili.

Vel Euelpidis Pyxinum , quod ex his constat. Salis fossilis P. iv. *. ammoniaci , thymiamatis P. viii. *. papaveris lacrimæ P. xii. *. cerussæ P. xv. *. piperis albi , croci Siculi , singulorum P. lii. *. gummi P. xiii. *. Cadmiaæ elotæ P. xi. *.

Maxime tollere cicatricem videtur id quod habet gummi P. iii. *. æruginis P. i. *. crocomagmatis P. iv. *.

3°. Est etiam genus inflammationis in qua , sicutument ac distenduntur cum dolore oculi , sanguinem ex fronte emitti necessarium , multaque

aquâ calidâ caput atque oculos fovêri , gargari-
zari ex lenticula vel ex fici crenore , inungi acri-
bus medicamentis quæ suprà comprehensa sunt ,
maximèque eo quod *Sphærion* nominatur , quod
lapidem hæmatiten habet. Atque alia quoque uti-
lia sunt , quæ ad extenuandam aspritudinem fiunt ,
de qua protinus dicam.

Hæc autem inflammationem oculorum ferè se-
quitur , interdum major , interdum levior. Non
numquam etiam ex aspritudine lippitudo fit , dein-
de aspritudinem ipsam auget , fitque ea in aliis
brevis , in aliis longa , & quæ vix umquam
finiatur.

In hoc genere valetudinis quidam crassas du-
rasque palpebras & ficolneo folio , & asperato
specillo , & interdum scalpello eradunt , versasque
quotidie medicamentis suffricant : quæ neque nisi
in magnâ vetustâque aspritudine , neque sëpe fa-
cienda sunt : nam melius códem ratione victûs &
idoneis medicamentis pervenîtur. Ergo exercita-
tionibus utémur & balneo frequentiore , multâque
oculorum palpebras aquâ calidâ fovebimus. Cibos
autem sumemus acres & extenuantes.

At medicamentum id quod *Cæsarianum* voca-
tur , huc maximè confert. Habet atramenti sutorii
P. I. *. misyos P. *. piperis albi P. v. *. papave-
ris lacrimæ , gummi , singulorum P. ii. *. Cadmiae
elotæ P. iii. *. stibii P. vi. * : satisque constat
hoc collyrium adversùs omne genus oculorum va-
letudinis idoneum esse , exceptis his quæ lenibus
curantur.

Id quoque quod *Hieracis* nominatur , ad aspri-

tudinem prodest. Habet myrrhæ P. i. *. ammo-
niaci , thymiamatis P. ii. *. æruginis rasæ P. iv. *.
cum aqua pluviatili.

Ad idem idoneum est etiam id quod *Canopite*
est , & id quod *Smilion* vocatur , & id quod *py-
xinum* , & id quod *Sphærion*. Si composita me-
dicamenta non adsunt , felle caprino , vel quam
optimo melle satis commodè aspritudo curatur.

4°. Est etiam genus aridae lippitudinis : ξηροθαλ-
μιαν Græci appellant. Neque tument neque fluunt
oculi , sed rubent tantum , & cum dolore quo-
dam ferè levi ac prurigine gravescunt , & palpe-
bræ citra duritiem ullam noctu prægravi pituita
inhærescunt : quantoque major generi hujus im-
petus , tanto finis minus expeditus est. In hoc
vitio multum ambulare , multum exerceri , lavari
sæpe , ibique desudare , multaque frictione uti
necessarium est. Cibi neque qui implent , neque
nimium acres apti sunt , sed inter hos medii. Mane
ubi concoxisse manifestum est , non alienum est
ex sinapi gargarizare , tum dein de caput atque os
diutius defricare.

Collyrium verò aptissimum est , quod *Rhinion*
vocatur. Habet myrrhæ P. i. *. papaveris lacri-
mæ , acaciæ succi , piperis , gummi , singulorum
P. i. *. lapidis haematitis , lapidis Phrygii , lycii ,
lapidis scissilis , singulorum P. ii. *. æris combusti
P. iv. *. Ac pyxinum quoque eodem accommo-
datum est.

5°. Si verò scabri oculi sunt , quod maximè in
angulis esse consuēvit , potest prodest *Rhinion* id
quod supra positum est : potest similiter prodest

id quod habet æruginis rasæ , piperis longi , pa-
paveris lacrimæ , singulorum P. ii. *. piperis albi ,
gummi , singulorum P. iv. *. Cadmiaæ elotæ , ce-
russæ , singulorum P. vi. *.

Nullum tamen melius est quam Euelpidis , quod
Basilicon nominabat. Habet papaveris lacrimæ ,
cerussæ , lapidis Asii , singulorum P. ii. *. gummi
P. xiii. *. piperis albi P. iv. *. croci P. vi. *.
psorici P. xiii. *. Nulla autem per se materia est
quaæ *Psoricum* nominetur ; sed chalcitidis aliiquid ,
& Cadmiaæ dimidio plus ex aceto simul conterun-
tur , idque in vas fictile inditum & conteatum
ficulneis foliis sub terra reponitur , sublatumque
post dies viginti rursus teritur , & sic appellatur.
Verum in basilico quoque collyrio convenit , ad
omnes affectus oculorum id esse idoneum , qui non
lenibus medicamentis curantur.

Ubi autem non sunt medicamenta composita ,
scabros angulos levant & mel & vinum : succur-
ritque & his , & aridae lippitudini , si quis panem
ex vino subactum super oculum imponit. Nam
quum ferè sit humor aliquis , qui modò ipsum ocu-
lum , modò angulos aut palpebras exasperet , sic ,
& si quid prodit humoris , extrahitur , & si quid
juxta est , repellitur.

6°. Caligare vero oculi non numquam ex lippi-
tudine , non numquam etiam sine hac propter se-
nectutem imbecillitatemve aliam , consuerunt. Si ex
reliquiis lippitudinis id vitium est , adjuvat colly-
rium quod *Asclepias* nominatur : adjuvat & id
quod ex crocomagmate fit.

Propriè etiam ad id componitur , quod dixi nōnus

vocant. Habet piperis P. i. *. croci Ciliciei , papaveris lacrimae , cerussae , singulorum P. ii. *. psorici , gummi , singulorum P. iv. *.

At si ex senectute aliave imbecillitate id est , recte inungi potest , & melle quam optimo , & cyprino , & oleo vetere. Commodissimum tamen est balsami partem unam , & olei veteris aut cypriini partes duas , mellis quam acerrimi partes tres miscere. Utilia huic quoque medicamenta sunt quae ad caliginem proxime , quaque ad extenuandas cicatrices supra comprehensa sunt.

Cuicunque vero oculi caligabunt , huic opus erit multa ambulatione atque exercitatione , frequenti balneo , ubi totum quidem corpus perfri- candum est ; praecipue tamen caput , & quidem irino , donec insudet ; velandumque postea , nec detegendum ante quam sudor & calor domi con- quierint. Tum cibis utendum acribus & extenuan- tibus , interpositisque aliquibus diebus , ex sinapi gargarizandum.

7º. Suffusio quoque quam Græci *ὑπόχυσιν* nomi- nant , interdum oculi potentiae quam cernit , se op- ponit. Quod si inveteraverit , manu curandum est. Inter initia non numquam etiam certis observatio- nibus discutitur. Sanguinem ex fronte vel naribus mittere , in temporibus venas adurere , gargarizando pituitam evocare , suffumigare oculos acribus medicamentis , inungere , expedit. Viatus opti- mus est qui pituitam extenuat.

8º. Ac ne resolutio quidem oculorum quam *παράλυσιν* Græci nominant , alio viatus modo vel aliis medicamentis curanda est. Exposuisse tantum

genus vitii satis est. Igitur interdum evenit , modò in altero oculo , modò in utroque aut ex iētu aliquo , aut ex morbo comitiali , aut ex distentione nervorum quā vehementer oculus ipse concussus est , ut is neque quōquam intendi possit , nec omnino consistat ; sed huc illucve sine ratione moveatur , ideōque ne conspectum quidem rerum præstet.

9°. Non multum ab hoc malo distat id quod *μυδρίασιν* Græci vocant. Pupilla effunditur & dilatatur , aciesque ejus hebetescit , ac pñè caligat. Difficillimè genus id imbecillitatis eliditur. In utraque verò , id est & paralysi & mydriasi , pugnandum est per eadem omnia quæ in caligine oculorum præcepta sunt , paucis tantùm mutatis : siquidem ad caput ungendum irino interdum acētum , interdum nītrum adjiciendum est , oculos verò melle inungi satis est. Quidam in posteriore vitio calidis aquis usi relevatique : quidam sine ullâ manifestâ caussâ subitò obcæcati sunt. Ex quibus non nullū cum aliquamdiu nihil vidissent , repentinâ profusione alvi lumen receperunt. Quo minus alienum videtur , & recenti re & interposito tempore , medicamentis quoque moliri dejectiones , quæ omnem noxiā materiam in inferiora depellant.

10°. Præter hæc imbecillitas oculorum est , ex qua quidem interdiu satis , noctu nihil cernunt , quod in feminam , bene respondentibus menstruis , non cädit. Sed sic laborantes inungi oportet ichore jecinoris (maximè hircini ; si minus , caprini) , ubi id allsum coquitur , excepto : atque edi quoque ipsum jecur debet.

Licet tamen etiam iisdem medicamentis non

inutiliter uti, quæ vel cicatrices, vel aspritudinem extenuant: quidam contrito semini portulacæ mel adjiciunt, eatenus ne id ex specillo destillet, eoque inungunt. Exercitationibus, balneo, frictionibus, gargarizationibus iisdem, his quoque utendum est.

SECT. III. 1°. Et hæc quidem in ipsis corporibus oriuntur: extrinsecus verò interdum sic ictus oculum laedit, ut sanguis in eo suffundatur. Huic nihil commodius est quam sanguine vel columbae, vel palumbi vel hirundinis inungere. Neque id sine caussa fit, quum harum acies extrinsecus lassa, interposito tempore, in antiquum statum redeat, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulae factus est, aut per parentes, aut herbâ chelidoniam id restitui, quod per se sanescit. Forum ergo sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissimè tuetur, hoc ordine, ut sit hirundinis optimus, deinde palumbi: minimè efficax columbae & illi ipsi & nobis.

2°. Supra percussum verò oculum, ad inflammationem leniendam, non est alienum imponere etiam cataplasma. Sal ammoniacus, vel quilibet alijs quam optimus, teri debet sic ut ei paullatim oleum adjiciatur, donec crassitudo strigmenti fiat. Id deinde miscendum est cum hordeaceâ farinâ, quæ ex mulso decocta sit.

3°. Facile autem recognitis omnibus quæ medici quique prodiérunt, apparere cuilibet potest, vix ullum ex his quæ suprà comprehensa sunt, oculi vitium esse, quod non simplicibus quoque & promptis remediis removéri possit.

C A P U T Q U A R T U M.

HACTENUS in oculis ea reperiuntur, in quibus medicamenta plurimum possunt: ideoque ad aures transeundum est, quarum usum proximum a luminibus Natura nobis dedit. Sed in his aliquanto majus periculum est: nam vitia oculorum intra ipsos nocent; aurium inflammations doloresque interdum etiam ad dementiam mortemque præcipitant. Quo magis inter initia protinus succurrendum est, ne majori periculo locus sit.

SECT. I. 1º. Ergo ubi primùm dolorem aliquis sensit, abstinere & continere se debet: postero die, si vehementius malum est, caput tondere, idque irino unguento calido perungere & operire. At magnus cum febre vigiliaque dolor exigit, ut sanguis quoque mittatur: si id aliquæ cauſſæ prohibent, alvus solvenda est. Cataplasmata quoque calida subinde mutata proficiunt; sive fœni græci, sive lini, sive alia farina ex mulso decocta est. Refrè etiam subinde admoventur spongiae, ex aqua calida exprefſæ.

Tum levato dolore, ceratum circumdati debet ex irino aut cyprino factum: in quibusdam tamen melius, quod ex rosa factum est, proficit.

Si vehemens inflammatio somnum ex toto prohibet, adjici cataplasmati debent papaveris cornices fricti atque contriti, sic ut ex his pars dimidia sit; eaque tum simul ex passo vel mixto decoquuntur. In aurem vero infundere aliquod me-

dicamentum oportet, quod semper antē tepefieri
convenit, commodissimēque per strigilem instilla-
tur. Ubi auris replēta est, supēr lana mollis ad-
denda est, quæ humorem intus contineat. Et hæc
quidem communia sunt.

Medicamentum verò est & rosæ & radicum
arundinum succus, & oleum in quo lumbrici
cocti sunt, & humor ex amaris nucibus aut ex
nucleo mali Persici expressius. Composita verò ad
inflammationem doloremque leniendum hæc ferè
sunt: castorei, papaveris lacrimæ pares portiones
conteruntur, deinde adjicitur his passum.

Vel papaveris lacrimæ, croci, myrræ par modū
sic teritur, ut in vicem modò rosa, modò
passum instilletur.

Vel id quod amarum in Ægyptia faba est, con-
teritur, rosâ adjectâ: quibus myrræ quoque
paullum a quibusdam miscetur, vel papaveris la-
crimæ, aut tus cum muliebri lacte, vel amara-
rum nucum cum rosa succus.

Vel castorei, myrræ, papaveris lacrimæ pares
portiones cum passo.

Vel croci P. i. *. myrræ, aluminis scissilis,
singulorum. P. iii. *. quibus, quum teruntur,
paullatim miscentur passi cyathi tres, mellis minus
cyatho: idque ex primis medicamentis est.

Vel papaveris lacrima ex aceto.
Licet etiam compositione uti Themisonis, quæ
habet castorei, opopanacis, papaveris lacrimæ ex
aceto, singulorum P. ii. *. sumpæ lycii P. iv. *.
Quæ contrita passo excipiuntur, donec cerati cras-
itudinem habeant, atque ita reponuntur. Ubi usus
sequitur,

requiritur, rursus idem medicamentum, adjecto passo, specillo teritur.

Illud perpetuum est, quotiescumque crassius medicamentum est quam ut in aurem instillare possit, adjiciendum eum esse humorem ex quo id componi debet, donec satis liquidum sit.

10. Si vero pus quoque aures habent, recte Iycium per se infunditur, aut irinum ungentum, aut porri succus cum melle, aut centaurae succus cum passo, aut dulcis punici mali succus in ipsius cortice tepefactus, adiecta myrrha exigua parte.

Recte etiam miscentur myrrha (quam cognominant) P. i. *. croci tantumdem, nuces amarae xv. mellis sesquicyathus: quae contrita quum utendum est, in cortice Punici mali tepefiant.

Ea quoque medicamenta quae oris exulcerati caussa componuntur, aequè ulcera aurium sanant. Quae si vetustiora sunt, & multa sanies fluit, apta compositio est quae ad auctorem Erasistratum refertur, piperis P. i. *. croci P. i. *. myrrha, misyos cocti, singulorum P. ii. *. aeris combusti P. ii. *. Haec ex vino teruntur: deinde ubi inaruérunt, adjiciuntur passi heminae tres, & simul coquuntur. Quum utendum est, adjicitur his mel & vinum.

Est etiam Ptolemæi chirurgi medicamentum, quod habet lentisci P. i. *. gallæ P. i. *. omphacii P. i. *. succum Punici mali.

Est Menophili validum admodum, quod ex his constat; piperis longi P. i. *. castorei P. ii. *. myrrha, croci, papaveris lacrimæ, nardi Syriaci, turis, malicorii, ex Aegyptia faba partes

inferiores, nucum amararum, mellis quam optimi, singulorum P. iv. *. quibus quum teruntur, adjicitur acetum quam aceratum, donec crassitudo in his passi fiat.

Est Cratonis. Cinamomi, casiae, singulorum P. i. *. lycii, nardi, myrrae, singulorum P. i. *. aloes P. ii. *. mellis cyathi tres, vini sextarius: ex quibus lycium cum vino decoquitur, deinde his alia miscentur. At si multum puris malusque odor est, aeruginis, rose, turis, singulorum P. ii. *. mellis cyathi duo, aceti quattuor, simul incoquuntur. Ubi utendum est, dulce vinum miscetur.

Aut aluminis scissilis, papaveris lacrimae, acaciae succi par pondus miscetur, hisque adjicitur hyoscyami succi dimidio minor quam unius ex superioribus portio; eaque trita ex vino diluuntur. Per se quoque hyoscyami succus satis proficit.

Commune vero auxilium adversus omnes aurium casus, jamque usu comprobatum, Asclepiades composuit. In eo sunt cinamomi, casiae, singulorum P. i. *. floris junci rotundi, castorei, albi piperis & longi, amomi, myrobalani, singulorum scrupuli duo, turis masculi, nardi Syriaci, myrrae pinguis, croci, spuma nitri, singulorum P. ii. *. Quae separatim contrita, rursus mixta ex aceto conteruntur, atque ita condita, ubi utendum est, aceto diluuntur.

Eodem modo commune auxilium auribus laborantibus est Polybii sphragis ex dulci vino liquata; quae compositio priore libello continetur.

Quod si & sanies profluit, & tumor est, non

aliēnum est, mixto vino per oricularium clystērem eluere, & tum infundere vinum austērum cum rosa mistum, cui spodii paullum sit adjectum, aut lycium cum lacte, aut herbæ sanguinalis succum cum rosa, aut mali Punici succum cum exigua parte myrrhæ.

Si sordida quoque ulcera sunt, melius mulso eluentur, & tum aliquod ex his quæ suprà scripta sunt, quod mel habeat, infunditur.

Si magis pus profluit, & caput utique tondendum est, & multā calidā aquā perfundendum, & usque ad lassitudinem ambulandum, & cibo modico utendum est.

Si crux quoque ex ulceribus apparuit, lycium cum lacte debet infundi, vel aqua in qua rosa decocta sit, succo aut herbæ sanguinalis aut aca-
ciæ adjecto. Quod si super ulcera caro incrèvit,
eaque mali odoris saniem fundit, aquâ tepidâ
elui debet; tum infundi id quod ex ture & æru-
gine & aceto & melle fit, aut mel cum æru-
gine incoctum. Squama quoque æris cum sanda-
racha contrita per fistulam recte instillatur.

Ubi verò vermes orti sunt, si juxta sunt, pro-
trahendi oriculario specillo sunt; si longius, me-
dicamentis enecandi, cavendumque ne postea na-
scantur. Ad utrumque proficit, album veratruncum
cum aceto contritum. Elui quoque aurem opor-
ter vino in quo marrubium decoctum sit: sic
emortui vermes in primam auris partem prola-
buntur, unde facillimè educi possunt.

Sin foramen auris compressum est, & intus
crassa sanies subest, mel quam optimum adden-

dum est. Si id parum proficit , mellis cyatho & dimidio æruginis rasæ P. ii. * adjiciendum est, incoquem dumque , & eo utendum. Iris quoque cum melle ad idem proficit. Item mellis & rosæ scrupuli duo. Item galbani P. ii. *. myrrhæ cum melle , & fellis tauríni , singulorum P. ii. *. vini quantum satis est ad myrrham diluendam.

SECT. II. Ubi verò gravius aliquis audire coepit, (quod maximè post longos capitum dolores evenire consuēvit) in primis aurem ipsam considerare oportet : apparèbit enim aut crusta , qua illis super ulcera innascitur , aut sordium coitus. Si crusta est , infundendum est aut oleum calidum , aut cum melle ærugo , vel porri succus , aut cum mulso nitri paullum. Atque ubi crusta a corpore jam recedit , eluenda auris aquâ tepidâ est , quo facilius ea per se diducta oriculario specillo protrahatur. Si sordes , cæque molles sunt , eodem specillo eximendæ sunt : at si duræ sunt , acetum & cum eo nitri paullulum conjiciendum est : quumque emollitæ sunt , eodem modo elui aurem purgarique oportet.

Quod si capitum gravitas manet , attondendum idem , & leniter sed diu perfricandum est : adjecto vel irino vel laureo oleo , sic ut utrilibet paullum aceti misceatur : tum diu ambulandum , leniterque post unctionem aquâ calidâ caput forendum : cibisque utendum ex imbecillissimâ & mediâ materiâ , magisque assumendæ dilutæ potionis : non numquam gargarizandum est. Infundendum autem in aurem castoreum cum acetô & laureo oleo , & succo radiculæ corticis ; aut

cucumeris agrestis succus, adjectis contritæ rosæ foliis. Immaturæ quoque uvæ succus cum rosa instillatus, adversùs surditatem satis proficit.


Aliud vitii genus est, ubi auræ intra scipsas sonant, atque ob hoc quoque fit, ne externum sonum accipient. Levissimum est, ubi id ex gravedine est: pejus, ubi ex morbi capitisve longis doloribus incidit: pessimum, ubi magnis morbis venientibus maximèque comitiali, provenit. Si ex gravedine est, purgare aurem oportet, & spiritum continere, donec inde humor aliquis expūmet. Si ex morbo vel capitidis dolore, quod ad exercitationem, frictionem, perfusionem gargarizationemque pertinet, eadem facienda sunt, quæ capite superiore præscripta sunt. Cibis non utendum nisi extenuantibus: in aurem dandus radiculæ succus cum rosa, vel cum succo radicis ex cucumere agresti, vel castoreum cum aceto & laureo oleo: veratrum quoque cum aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur, & inde collyrium factum in aurem demittitur.

Si sine his cœpit, ideoque novo metu terret, in aurem dari debet castoreum cum aceto vel irino vel laureo oleo, aut huic mistum castoreum cum succo nucum amararum, aut myrrha aut nitrum cum rosa & aceto. Plus tamen in hoc quoque proficit victus ratio: eademque facienda sunt quæ suprà comprehendi cum majore quoque diligentia; & præterea donec is sonus finiatur, a vino abstinentur. Quod si simul & sonus est & inflammatio, laureum oleum conjectisse abunde est, aut id quod ex amaris nucibus

exprimitur ; quibus quidam vel castoreum vel myrrham miscent.

SECT. III. Solet etiam interdum in aurem aliquid incidere , ut calculus aliquodve animal. Si pulex intus est , compellendum eo lanæ paullum est , quò ipse si subit , & simul extrahitur. Si non est securus , aliudve animal est , specillum lanâ involutum in resinam quam glutinosissimam maximèque terebinthinam demittendum , idque in aurem injiciendum , ibique vertendum est ; utique enim comprehendet & eximet. Si aliquid exanime est , specillo oriculario protrahendum est , aut hamulo retuso paullum recurvato.

Si ista nihil proficiunt , potest eodem modo resina protrahi. Sternutamenta quoque admota id commodè elidunt , aut oriculario clystere aqua vehementer intus compulsa. Tabula quoque colloccatur media inhærens capitibus utrimque pendentibus , superque eam homo deligatur in id latus versus cuius auris eo modo laborat , sic ut extra tabulam emineat. Tum malleo caput tabulæ quod a pedibus est , feritur : atque ita concussâ aure , id quod inest , excidit.



C A P U T Q U I N T U M.

NARES verò exulceratas fovēre oportet vapore aquæ calidæ. Id & spongiâ expressâ atque admotâ fit, & subiecto vase oris angusti calidâ aquâ repléto. Post id fomentum illinenda ulcera sunt, aut plumbi recremento, aut cerussâ, aut argenti spumâ : cum quodlibet horum aliquis conterit, eique, dum teritur in vicem vinum & oleum myrtleum adjiciat, donec mellis crassitudinem fecerit.

Sin autem ea ulcera circa nares sunt, pluresque crustas & odorem foedum habent, quod genus Græci ὄζαιναv appellant, sciri quidem debet, vix ei malo posse succurri. Nihilo minus tamen hæc tentari possunt, ut caput ad cutem toneatur, assidueque vehementer perfricitur, multâ calidâ aquâ perfundatur : multa eidem deambulatio sit, cibus modicus, neque acer neque valentissimus. Tum in narem ipsam mel cum exiguo modo resinæ terebinthinæ conjiciatur (quod specillo quoque involuto lanâ fit,) attrahaturque spiritu is succus, donec in ore gustus ejus sentiatur. Sub his enim crustæ resolvuntur, quæ tum per sternutamenta elidi debent.

Puris ulceribus, vapor aquæ calidæ subjiciendus est : deinde adhibendum aut lycium ex vino dilutum, aut amurca, aut omphacium, aut menthae aut marrubii succus, aut atramentum sutorium, quod, candens factum, deinde contritum sit : aut interior scillæ pars contrita, sic ut horum cuili-

bet mel adjiciatur. Cujus in cæteris admodum exigua pars esse debet ; in atramento sutorio tanta , ut ea mistura liquida fiat ; cum scilla utique pars major ; involvendumque lanâ specillum est , & in eo medicamento intingendum , eoque ulcera implenda sunt. Rursusque linamentum involutum & oblongum eodem medicamento illinendum , demittendumque in narem est , & ab inferiore parte leniter diligandum : idque per hiemem & ver bis die , per æstatem & autumnum ter die fieri debet.

Interdum verò etiam in naribus carunculæ quædam similes muliebribus mammis nascuntur , hæque in imis partibus , quæ carnosissimæ sunt , inhærent. Has curare oportet medicamentis aduentibus sub quibus ex toto consumuntur.

Pólypus verò est caruncula modò alba modò subrubra , quæ narium ossi inhæret , & modò ad labra tendens narem implet , modò retro per id foramen quò spiritus a naribus ad fauces descendit , adeò increscit , uti post uvam conspici possit ; strangulatque hominem , maximè Austro aut Euro flante : feréque mollis est , raro dura : eaque magis spiritum impedit & nares dilatat. Et ferè ~~καρκινώδης~~ est ; itaque attingi non deberet.

Illud aliud genus ferè quidem ferro curatur , interdum tamen inarescit , si addita in narem per linamentum aut penicillum ea compositio est , quæ habet minii Sinopici , chalciditis , calcis , sandarachæ , singulorum P. i. * atramenti sutorii P. ii. *

C A P U T S E X T U S .

SECT. I. In Dentium autem dolore , qui ipse quoque maximis tormentis annumerari potest , vinum ex toto circumcidendum est. Cibo quoque primò abstinendum , deinde eo modico mollique utendum , ne mandentis dentes irritet ; tuni extrinsecus admovendus per spongiam vapor aquæ calidæ , imponendumque ceratum ex cyprino aut irino factum , lanâque id comprehendendum , caputque velandum est.

Quod si gravior is dolor est , utiliter & alyus ducitur , & calida ea cataplasma super maxillam injiciuntur , & ore humor calidus cum medicamentis aliquibus continetur , sèpiusque mutatur. Cujus rei caussâ & quinquefolii radix in vino , & hyoscyami radix vel in posca vel in vino misto coquitur , sic ut paullum his salis adjiciatur , & papaveris non nimium : aridi cortices & mandragoræ radix , eodem modo. Sed in his tribus utique vitandum est , ne quod haustum erit devoretur.

Ex populo quoque albâ cortex radicis in hunc usum in vino misto rectè coquitur , & in acéto cornu cervinum , & nepeta cum tædâ rapingui : ac ficus item pinguis vel in mulso , vel in acéto & melle , ex quibus quum ficus decocta est , is humor percolatur. Specillum quoque lanâ involutum in calidum oleum demittitur , eoque ipse dens fovetur.

Quinetiam quædam quasi cataplasma in den-

P V

tem ipsum illinuntur : in quem usum ex malo
Punico acido atque arido malicorii pars interior
cum pari portione & gallæ & pinei corticis conte-
ritur , misceturque his minium ; eaque contrita
aqua pluviatili coquuntur. Aut panâcis , papave-
ris lacrimæ , peucedani , uvæ taminiæ sine semi-
nibus , pares portiones conteruntur. Aut galbani
partes tres , papaveris lacrimæ pars quarta. Quic-
quid dentibus admotum est , nihilo minus supra
maxillam ceratum , quale suprà posui , esse debet
lanâ obte&tum.

Quidam etiam myrrhæ , cardamomi , singulo-
rum P. i. *. croci , pyrethri , ficorum , piperis ,
singulorum P. iv. *. sinâpis P. viii. *. Contrita
linteolo illinunt , imponuntque in humero partis
eius qua dens dolet : si is superior est , a scapulis ;
si inferior , a pectore : idque dolorem levat , &
cum levavit , protinus submovendum est.

Si verò exësus est dens , festinare ad eximendum
eum , nisi res coegit , non est neceſſe : sed tum
omnibus fomentis quæ supra posita sunt , adjiciendæ
quædam valentiores compositiones sunt ,
quæ dolorem levant : quales hæ sunt quæ habent
papaveris lacrimæ P. i. *. piperis P. ii. *. soreos
P. x. *. quæ contrita galbano excipiuntur : idque
circundatur : aut Menemachi , maximè ad maxil-
lares dentes , in qua sunt croci P. i. *. cardamô-
mi , turis fuliginis , ficorum , piperis , pyrethri ,
singulorum P. iv. *. sinâpis P. viii. *. Quidam
autem immiscent pyrethri , piperis , elaterii , singu-
lorum P. i. *. aluminis scissilis , papaveris lacrimæ ,
uvæ taminiæ , sulfuris ignem non experti , bitumi-

Nis, lauri baccarum, sinapis, singulorum P. II. *

Quod si dolor eximi eum cogit, & piperis semen cortice liberatum, & eodem modo bacca ederæ conjecta in id foramen, dentein findit, isque per testas excidet. Et plani piscis (quam pastinaciam nostri, *τρυγόνα* Græci vocant (aculeus torretur, deinde conteritur, resinaque excipitur, quæ denti circumdata hunc solvit. Et alumen scissile in id foramen conjectum dentem citat. Sed id tamen involutum in lana demitti commodius est, quia, sic dente servato, dolorem levat.

Hæc a Medicis accepta sunt: sed agrestium experimento cognitum est, cum dens dolet, herbam mentastrum cum suis radicibus velli debere, & in pelvem conjici, supraque aquam infundi, collocarique juxta sedentem hominem undique veste conjectum, tum in pelvem carentes silices demitti, sic ut aqua tegantur, hominemque eum hiante ore vaporem excipere, ut supra dictum est, undique inclusum. Nam & sudor plurimus sequitur, & per os continens pituita defluit, idque saepe longiorem, saepe annuam valetudinem bonam præstat.

SECT. II. Si verò tonsillæ sine exulceratione per inflammationem intumuérunt, caput velandum est: extrinsecus is locus vapore calido fovendus, multâ ambulatione utendum, caput in lecto sublime habendum, gargarizandumque est ex reprimenteribus. Radix quoque ea quam dulcem appellant contusa, & in passo mulsöve decocta, idem præstat.

Leniter quoque quibusdam medicamentis eas illini

non alienum est, quæ hoc modo fiunt. Ex malo Punico dulci succus exprimitur, & ejus sextarius leni igne coquitur, donec ei mellis crassitudo sit; tum croci, myrrhæ, aluminis scissilis, singulorum P. II. *. per se conteruntur, paullatimque his adjiciuntur vini lenis cyathi duo, mellis unus: deinde priori succo ista miscentur, & rursus leniter incoquuntur.

Aut ejusdem succi sextarius eodem modo coquitur, atque eâdem ratione trita ei adjiciuntur hæc: Nardi P. *. omphacii P. I. *. cinamomi, myrrhæ, casiaz, singulorum P. I. *. Eadem autem hæc & auribus & naribus purulentis accommodata sunt. Cibus quoque in hac valetudine lenis esse debet, ne exasperet. Quod si tanta inflammatio est ut spiritum impedit, in lecto conquescentum, a cibo abstinendum, neque assumendum quicquam præter aquam calidam est: alvus quoque ducenda est: gargarizandum ex fico & mulso: illinendum mel cum omphacio: extrinsecus admovendus, sed aliquanto diutius, vapor aquæ calidus, donec ea suppurent, & per se aperiantur.

Si, pure substante, non rumpuntur hi tumores, incidendi sunt, deinde ex mulso calido gargarizandum. At si modicus quidem tumor & exulceratio est, furfurum cremori ad gargarizandum ex fico: paullum mellis adjiciendum est, illinendaque ulcera hoc medicamento. Passi quam dulcissimi tres heminae ad unam coquuntur, tum adjicitur turis P. I. *. croci, myrrhæ, singulorum P. I. leviterque omnia rursus fervescunt. Ubi pura ulcera

sunt, eodem furfum cremore vel lacte gargari-
zandum est. Atque hic quoque cibis lenibus opus
est, quibus adjici dulce vinum potest.

SECT. III. Ulcera autem oris, si cum inflamma-
tione sunt, & parum pura ac rubicunda sunt,
optimè his medicamentis curantur quæ suprà po-
sita ex malis Punicis fiunt. Continendusque sëpe
ore reprimens tremor, cui paullum mellis sit ad-
jectum: utendum ambulationibus, & non acri-
cibo. Simul atque verò pura ulcera esse cœpérunt,
lenis humor, interdum etiam quâm optimâ aqua
ore continenda est. Prodest quoque assūtum pu-
rum vinum, pleniorque cibus, dum acribus vacet:
inspergique ulcera debent alumine scissili, cui di-
midio plus gallæ immaturæ sit adjectum. Si jam
crustas habent, quales in adustis esse consuérunt,
adhibendæ sunt hæ compositiones quas Græci
ἀρθηται nominant. Junci quadrati, myrrhæ, san-
darachæ, singulorum P. iv. *. aluminis pares
portiones. Aut croci, myrrhæ, singulorum P. ii. *.
iridis, aluminis scissilis, sandarachæ, singulo-
rum P. iv. *. junci quadrati P. viii. *. Aut gallæ,
myrrhæ, singulorum P. ii. *, aluminis scissilis
P. ii. *. rosæ foliorum P. iv. Quidam autem
croci P. *. aluminis scissilis, myrrhæ, singulo-
rum P. i. *. sandarachæ P. ii. * junci quadrati
P. iv. *. miscent. Priora arida insperguntur: hoc
cum melle illinitur, neque ulceribus tantum, sed
etiam tonsillis.

Verùm ea longè periculosissima ulcera sunt, quas
ἄρθηται Græci appellant, sed in pueris: hos enim
sæpe consumunt, in viris & mulieribus idem pe-

riculum non est. Hæc ulcera a gingivis incipiunt ; deinde palatum rotumque os occupant : tum ad uvam faucesque descendunt : quibus obsestis , non facilè fit ut puer convalescat. Ac miserius etiam est , si lactens adhuc infans est , quo minus imperari remedium aliquod potest.

Sed in primis nutrix cogenda est exercéri ambulationibus , hisque operibus quæ superiores partes movent : mittenda in balneum , jubendaque ibi calidâ aquâ mammae perfundere , tum alenda cibis lenibus , & his qui facilè non corrumpuntur. Potio est , si febricitat puer , aquæ ; si sine febre est , vini diluti. Ac si alvus nutriti substitut , ducenda est. Si pituita ejus in os coit , vomere debet. Tum ipsa ulcera perungenda sunt melle cui thus quem Syriacum vocant , aut amaræ nuces adjectæ sunt : vel mistis inter se rosæ foliis aridis , pineis nucleis , menthae coliculo cum melle : vel eo medicamento quod ex moris fit , quorum succus eodem modo quo Punici mali ad mellis crassitudinem coquitur ; eademque ratione ei crocum , myrrha , alumen , vinum , mel , miscetur : neque quicquam dampnum , a quo humor evocari possit.

Si vero jam firmior puer est , gargarizate debet his fere quæ supra comprehensa sunt. At si leniora medicamenta in eo parum proficiunt , adhibenda ea quæ adurendo crustas ulceribus inducant. Quale est scissile alumen , vel chalcitis , vel atramentum sutorium. Prodest etiam fames & abstinentia quanta maxima imperari potest. Cibus debet esse lenis : ad purganda tamen ulcera interdum caseus ex melle recte datur.

SECT. IV. Linguæ quoque ulcera non aliis medicamentis egent, quām quæ primā parte superioris capitis exposita sunt. Sed quæ in latere ejus nascentur, diutissimè durant: videndumque est, num contrà dens aliquis acutior sit, qui sanescere sæpe ulcus eo loco non sinit; ideoque limandus est.

SECT. V. Solent etiam interdum juxta dentes in gingivis tubercula quædam oriri dolentia: πτερυγίδας Græci appellant. Hæc initio leniter sale contrito perficere oportet, aut inter se mistis sale fossili combusto, cupresso, nepetâ; deinde eluere os cremore lenticulæ, & inter hæc hiare donec pituitæ satis profluat.

In majore verò inflammatione iisdem medicamentis utendum est, quæ ad ulcera oris suprà posita sunt: & mollis linamenti paullum involvendum aliquâ compositione ex his quas anthyras vocari dixi, demittendumque id inter dentem & gingivam: quod si durior erit & id prohibebit, extrinsecus admovendus erit spongiâ vapor calidus, imponendumque ceratum. Si suppuratione ostendet, diutius eo vapore utendum erit, & continendum ore calidum mulsum in quo fucus decocta sit: itemque tuberculum subcrudum incidentum, ne si diutius ibi pus remanserit, os lædat.

Quod si major is tumor est, commodius totus exciditur, sic ut ex utrâque parte dens liberetur. Pure exempto, si levis plaga est, satis est ore calidam aquam continere, & extrinsecus fovere eodem vapore; si major est, lenticulæ cremore: uti iisdem medicamentis, quibus cætera ulcera oris curantur.

SECT. VI. Alia quoque ulcera in gingivis plerunque oriuntur, quibus eadem quæ in reliquo ore succurrunt: maximè tamen mandere ligustrum oportet, succumque ejus ore continere.

Fit etiam interdum, ut ex gingivæ ulcere, sive παρουσία fuit, sive non fuit, diutius pus feratur, aut dente corrupto aut fracto, vel aliter vitiato osse; maximèque id per fistulam evenire consuevit. Quod ubi incidit, locus aperiendus, dens eximendus: testa ossis, si qua recessit, recidenda est; si quid vitiosi est, radendum. Post quæ, quid fieri debeat, suprà in aliorum ulcerum curatione comprehensum est. Si verò a dentibus gingivæ recédunt, eadem antheræ succurrunt. Utile est etiam pira aut mala non permatura mandere, & ore eum humorem continere. Idem quoque præstare non acre acetum in ore retentum potest.

SECT. VII. Uvæ vehemens inflammatio terrere quoque debet. Itaque in hac & abstinentia necessaria est, & sanguis rectè mittitur; &, si id aliqua res prohibet, alvus utiliter ducitur: caputque super hæc velandum, & sublimius habendum est: tum aquâ gargarizandum, in qua simul rubus & lenticula decocta sit. Illinenda autem ipsa uva vel omphacio, vel gallâ, vel alumine scissili, sic ut cuilibet eorum mel adjiciatur.

Est etiam medicamentum huc aptum, quod *Anadromium* appellatur. Constat ex his. alumine scissili, squamâ æris rubri, atramento sutorio, gallâ, myrrâ, misy: quæ per se contrita mistaque rursus paullatim adjecto vino austero teruntur, donec his mellis crassitudo sit. Chelidoniae quoque succus

maximè prodest. Ubi horum aliquo per cochlearia illita uva est, ferè multa pituita decurrit, quumque ea quièvit, ex vino calido gargarizandum.

Quòd si minor in ea inflammatio est, laser terere, eique adjicere frigidam aquam satis est, eamque aquam cochleario exceptram ipsi uvæ subjicere. Ac mediocriter eam tumentem aqua quoque frigida, eodem modo subjecta, reprimit. Ex eadem autem aquâ gargarizandum quoque est, vel cum lasere, vel sine eo. Ac de curatione uvæ productæ per manum, ratio subjecta est.

SECT. VIII. Si quando autem ulcera oris cancer invasit, primò considerandum est, num malus corporis habitus sit, eique occurrentum; deinde ipsa ulcera curanda. Quòd si in summâ parte id vicium est, satis proficit anthera humido ulceri arida inspersa, sicciori cum exigua parte mellis illita: si paullo altius, chartæ combustæ partes duæ, auripigmenti pars una: si penitus malum descendit, chartæ combustæ partes tres, auripigmenti pars quarta; aut pares portiones salis fricti & iridis frictæ; aut item pares portiones chalcitidis, calcis, auripigmenti.

Necessarium autem est linamentum in rosa tingere, & super adurentia medicamenta imponere, ne vicinum & sanum locum lœdant. Quidam etiam in acris aceti heminam frictum salem conjiciunt, donec tabescere desinat: deinde id acetum coquunt, donec exsiccatur, eumque salem contritum inspergunt.

Quoties autem medicamentum injicitur, & ante & post, os diluendum est, vel cremore lenticulae,

vel aquâ in qua aut ervum , aut oleæ aut verbénæ decoctæ sint , sic ut cuilibet eorum paullum melis misceatur. Acétum quoque ex scilla retentum ore satis adversùs hæc ulcera proficit. Ex aceto cocto sali , sicut suprà demonstratum est , rursus mistum acétum : sed & diu continere utrumlibet , & id bis aut ter die facere , prout vehemens malum est , necessarium est.

Quòd si puer est cui id incidit , specillum lanâ involutum in medicamentum demittendum est , & super ulcus tenendum , ne per imprudentiam adurentia devoret. At si dolor in gingivis est , moventurque aliqui dentes , refigi eos oportet ; nam curationes vehementer impediunt. Si nihil medicamenta proficient , ulcera erunt adurenda. Quod tamen in labris ideo non est necessarium , quoniam excidere commodius est. Et id quidem , æquè adustum atque excisum , sine eâ curatione quæ corpori manu adhibetur , impléri non potest.

Gingivarum verò ossa quæ hebetia sunt , in perpetuum ustione nudantur : neque enim postea caro increscit. Imponenda tamen adustis lenticula est , donec sanitatem , qualis esse potest , recipient.




C A P U T S E P T I M U M .

HÆC in capite ferè medicamentis egent : sub ipsis verò auribus oriri παράτιδες solent , modò in secunda valetudine ibi inflammatione ortâ , modò post longas febres , illuc impetu morbi converso. Id abscessus genus est : itaque nullam novam curationem desiderat : animadversionem tantum modò hanc habet necessariam , quia sine morbo id intumuit , primum reperimentum experimentum est : si ex adversâ valetudine , illud inimicum est ; maturarique & quam primum aperiri commodius est.

C A P U T O C T A V U M .

AD Umbilicos verò prominentes , ne manu ferroque utendum sit , antè tentandum est , ut abstineant : alvus his ducatur , imponatur super umbilicum id quod ex his constat : cicûræ & fuginis , singulorum P. I. *. cerussæ elotæ P. IV. *. plumbi elotæ P. VIII. *. ovis duobus , quibus etiam solani succus adjicitur. Hoc diutius impositum esse oportet , & interim conquiescere hominem , cibo modico uti , sic ut vitentur omnia inflantia.



CAPUT NONUM.

PROXIMA sunt ea quæ ad partes obscenas pertinent, quarum apud Græcos vocabula & tolerabilius se habent, & accepra jam usu sunt, quum in omni ferè medicorum volumine atque sermone jaſtentur: apud nos fœdiora verba, ne consuetudine quidem aliquā verecundiū loquentium commendata sunt: ut difficilior hæc explanatio sit simul & pudorem & artis præcepta servantibus. Neque tamen ea res a scribendo deterrere me debuit: primùm, ut omnia quæ salutaria accépi, comprehendenderem, dein quia in vulgus eorum curatio etiam præcipue cognoscenda est, quæ invitisim quisque alteri ostendit.

SECT. I. Igitur si ex inflammatione coles intumuit, reducique summa cutis, aut rursus induci non potest, multâ calidâ aquâ fovendus locus est. Ubi verò glans coniecta est, oriculario quoque clystere incer eam cutemque aqua calida inserenda est. Si mollita sic & extenuata cutis reducenti paruit, expeditior reliqua curatio est. Si tumor vicit, imponenda est vel lenticula, vel marrubium, vel oleæ folia ex vino cocta, sic ut culibet eorum, dum teritur, mellis paullum adjiciatur: sursumque coles ad ventrem deligandus est. Quod in omni curatione ejus necessarium est: isque homo continere se, & abstinere a cibo debet, & potionē aquæ tantum a siti vindicari.

Postero die rursus adhibendum iisdem rationibus aquæ fomentum est, & cum vi quoque expe-

xiundum, an cutis sequatur: eaque, si non parerebit, leviter summo scalpello concidenda erit. Nam quum sanies profluxerit, extenuabitur is locus, & facilius cutis ducetur.

Sive autem hoc modo vieta erit, sive numquam repugnaverit, ulcera vel in cutis ulteriore parte, vel in glande, ultráve eam in cole, reperiuntur: quae necesse est, aut pura siccáve sint, aut humida & purulenta. Si sicca sunt, primùm aquâ calidâ fovenda sunt: deinde imponendum lycium ex vino est, aut amurca cocta cum eodem, aut cum rosa butyrum. Si levis iis humor inest, vino eluenda sunt, tum butyri rosæ & mellis paullum, & resinæ terebinthinæ pars quarta adjicienda est, coque utendum. At si pus ex his profluit, ante omnia elui mulso calido debent: tum imponi piperis P. I. *. myrrhæ P. II. *. croci, misyos cocti, singulorum P. II. *. quæ ex vino austéro coquuntur, donec mellis crassitudinem habeant. Eadem autem compositio tonsillis, uvæ madenti, oris nariumque ulceribus accommodata est.

Aliud ad eadem piperis P. I. *, myrrhæ P. I. *, croci P. II. misyos cocti P. I. *. æris combusti P. II. *. primùm ex vino austéro conteruntur, deinde ubi inaruérunt, iterum teruntur ex passi tribus cyathis, & incoquuntur, donec visci crassitudinem habeant.

Ærugo quoque cum cocto melle, & ea quæ ad oris ulcera suprà comprehensa sunt curant: at Erasistrati compositio, aut Cratônis rectè super purulenta naturalia imponitur. Folia quoque oleæ ex novem cyathis vini coquuntur: his adjicitur ali-

minis scissilis P. IV. *. lycii P. VIII. *. mellis sesquicyathus : at si plus puris est , id medicamentum ex melle ; si minus , ex vino diluitur.

Illud perpetuum est , post curationem dum inflammatio manet , quale suprà positum est , cataplasma suprà dare , & quotidie ulcera eâdem ratione curare. Quòd si pus & multum , & cum malo odore cœpit profluere , elui cremôre lenticulæ debet , sic ut ei mellis paullum adjiciatur. Aut oleæ , aut lentisci folia , vel marrubium decoquendum est , coque humore eodem modo cum melle utendum ; imponendaque eadem , aut etiam omphacium cum melle , aut id quod ex ærugine & melle ad aures fit , aut compositio Andrônisi , aut anthera , sic ut ei paullum mellis adjiciatur. Quidam ulcera omnia , de quibus adhuc dictum est , lycio ex vino curant.

Si verò ulcus latius atque altius serpit , eodem modo elui debet ; imponi verò aut ærugo , aut omphacium cum melle , aut Andrônisi compositio , aut marrubii , myrræ , croci , aluminis scissilis cocti , rosæ foliorum aridorum , gallæ , singulorum P. I. *. minii Sinopici P. II. *. Quæ per se singula primùm teruntur , deinde juncta iterum , melle adjecto , donec liquidi cerati crassitudinem habeant : tum in æneo vase leniter coquuntur , ne superfluant. Quum jam guttæ indurescant , vas ab igne removêtur ; idque medicamentum , prout opus est , aut ex melle aut ex vino liquatur. Idem autem per se etiam ad fistulas utile est.

Solet etiam interdum ad nervos ulcus descendere , profluitque pituita multa , sanies tenuis ma-

¶que odoris, non coacta, aut aquæ similis in qua caro recens lota est; doloresque is locus & punctiones habet. Id genus quamvis inter purulenta est, tamen lenibus medicamentis curandum est, quale est emplastrum *τετραζάπυλον* ex rosa liquatum, sic ut turis quoque paullum ei misceatur. Aut id quod ex butyro, rosâ, resinâ, melle fit, suprà verò a me positum est: præcipueque id ulcus multâ calidâ aquâ fovendum est, velandumque, neque frigori committendum.

Interdum autem per ipsa ulcera coles sub cute exèsus est, sic ut glans excidat: sub quo casu cutis ipsa circumcidenda est. Perpetuumque est, quoties glans, aut ex cole aliquid vel excidit, vel absceditur, hanc cutem non esse servandam, ne considerat ulcerique agglutinetur; ac neque reduci possit postea, & fortasse fistulam quoque urinæ includat.

Tuberculæ etiam quæ *εύματα* Græci vocant, circa glandem oriuntur; quæ vel medicamentis vel ferro aduruntur, & quum crustæ excidérunt, squama æris inspergitur, ne quid ibi rursus increscat.

Hæc citra cancrum sunt, qui cum in reliquis partibus, tum in his quoque vel præcipue ulcera infestat. Incipit a negritie, quæ si cutem occupavit, protinus specillum subjiciendum, eaque incidenda est; deinde oræ vulsellæ prehendendæ: tum quidquid corruptum est, excidendum, sic ut ex integro quoque paullum demat; idque adendum. Quoties quid ustum est, id quoque sequitur, ut imponenda lenticula sit; deinde ubi

crustæ excidérunt , ulcera sic ut alia curenur.

At si cancer ipsum colem occupavit , inspergenda aliqua sunt ex adurentibus , maximèque id quod ex calce , chalcide , auripigmento componitur. Si medicamenta vincuntur , h̄ic quoque scalpello quidquid corruptum est , sic ut aliquid etiam inregri trahat , præcidi debet. Illud quoque æquè perpetuum est , exciso cancro , vulnus esse adurendum. Sed sive ex medicamentis , sive ex ferro crustæ occalluérunt , magnum periculum est ne his decidentibus , ex cole profusio sanguinis inse- quatur. Ergo longâ quiete & immobili pñè corpore opus est , donec ex ipso crustæ puræ leniter resolvantur. At si vel volens aliquis , vel imprudens , dum ingreditur , immaturè crustas diduxit , & fluit sanguis , frigida aqua adhibenda est. Si hæc parum valer , decurrentum est ad medicamenta quæ sanguinem suppressunt. Si ne hæc quidem succurrunt , aduri diligenter & timidè debet , neque ullo postea motu dandus eidem periculo locus est.

Non numquam etiam id genus cancri , quod φαγετίαν a Græcis nominatur , ibi oriri solet : in quo minimè differendum , sed protinus iisdem medicamentis occurendum est ; & , si parum valent , ferro adurendum. Quædam etiam nigrities est , quæ non sentitur , sed serpit ; ac , si sustinuimus , usque ad vesicam tendit , neque succurri postea potest. Si id in summâ glande circa fistulam urinæ est , priùs in eam tenue specillum demittendum est , ne claudatur : deinde id ferro adurendum. Si verò altè penetravit , quidquid occupatum est , præcidendum

præcidendum est. Cætera eadem, quæ in aliis can-
cris, facienda sunt.

Occallescit etiam in cole interdum aliquid, idque omni pæne sensu caret; quod ipsum quoque excidi debet. Carbunculus autem ibi natus, ut primum apparet, oriculario clystere eluendus est: deinde ipse quoque medicamentis urendus, maximè chalcitide cum melle, aut ærugine cum cocto melle, aut ovillo stercore fricto & contrito cum eodem melle. Ubi is excidit, liquidis medicamentis utendum est, quæ ad oras ulceris compo-
nuntur.

SECT. II. In Testiculis verò, si qua inflamma-
tio sine ictu orta est, sanguis ex talo mittendus
est; a cibo abstinendum, imponendum cataplasma
ex fabæ farinâ ex mulso coctâ, cum cumino con-
trito ex melle cocto; aut contritum cuminum cum
cerato ex rosa facto; aut lini semen frictum, con-
tritum & in mulso coctum; aut tritici farina ex
mulso cocta cum cupresso; aut lili radix con-
trita. At si iidem induruérunt, imponi debet lini
vel fœni græci semen ex mulso coctum, aut ex
cypriño ceratum: aut simila ex vino contrita,
cui paullum croci sit adjectum.

Si vetustior jam durities est, maximè proficit
cucumeris agrestis radix ex mulso cocta, deinde
contrita.

Si ex ictu tuiment, sanguinem mitti necessa-
rium est, magisque si etiam livent. Imponendum
verò utrumlibet ex his quæ cum cumino compo-
nuntur, suprāque posita sunt: aut ea compositio
quæ habet nitri cocti P. 1. *. resinæ pineæ, cumi-

Q

ni , singulorum II. *. uvæ taminiæ sine seminibus
P. IV. *. mellis quantum satis sit ad ea cogenda.

Quod si ex iectu testiculus ali desit , ferè pus
quoque increscit ; neque aliter succurri potest quam
si , inciso scroto , & pus emissum , & ipse testi-
culus excisus est .

SECT. III. Anus quoque multa tædiique plena
mala recipit , nec inter se multum abhorrentes
curationes habet .

1º. Ac primum in eo saepe , & quidem pluribus
locis , cutis scinditur : Παγδόνια Græci vocant.
Id si recens est , quiescere homo debet , & in aquâ
calidâ desidere . Columbina quoque ova coquenda
sunt : ea ubi induruérunt , purganda : deinde alte-
rum jacere in aquâ bene calidâ debet , altero cä-
lido fovéri locus , sic ut in vicem utroque aliquis
utatur . Tum tetrapharmacum aut rhypôdes rosâ
diluendum est , aut cesypum recens miscendum
cum cerato liquido ex rosa facto : aut eidem ce-
rato liquido plumbum elotum adjiciendum ; aut
resinæ terebinthinæ myrrha , aut spumæ argenti
vetus oleum , & quolibet ex his id perungendum .

Si quidquid læsum est , extrâ est , neque intus
reconditum , eodem medicamento tintatum lina-
mentum superdandum est , & quidquid antè adhi-
buimus , cerato contegendum . In hoc autem casu
neque acribus cibis utendum , neque asperis , nec
alvum comprimentibus : nec aridum quidem quid-
quam satis utile est nisi admodum paullum : li-
quida , lenia , pinguia , glutinosa meliora sunt .
Vino leni uti nihil prohibet .

2º. Condylôma autem est tuberculum quod ex

quadam inflammatione nasci solet. Id ubi ortum est, quod ad quietem, cibos potionisque pertinet, eadem servari debent, quae proxime scripta sunt: iisdem etiam ovis recte tuberculum id fovetur. Sed desiderare ante homo in aqua debet, in qua verbena decoctae sint ex reprimientibus. Tum recte imponitur & lenticula cum exigua mellis parte, & sertula Campana ex vino cocta, & rubi folia contrita cum cerato ex rosa facto, & cum eodem cerato contritum, vel cotoneum malum, vel mali- corii ex vino cocti pars interior, & chalcitis cocta atque contrita, deinde cesypo ac rosâ excepta: & ex ea compositione, quae habet turis P. 1. *. aluminis scissilis P. 11. *. cerussæ P. 111. *. spumæ argenti P. v. *. quibus, dum teruntur, in vicem rosa & vinum instillatur.

Vinculum autem ei loco linteolum aut pannulus quadratus est, qui ad duo capita duas ansas, ab alterâ verò parte toqidem fascias habet; cumque subjectus est, ansis ad ventrem datis a posteriore parte in eas adductæ fasciæ conjiciuntur, atque ubi artatæ sunt, dexteriori sinistra, sinistriiori dextra procedit; circumdataeque circa alvum inter se novissime nodo deligantur.

Sed si vetus condyloma jam induruit, neque sub his curationibus desiit, adiuri medicamento potest, quod ex his constat; æruginis P. 11. *. myrræ P. 1V. *. gummi P. viii. *. turis P. xii. *. stibii, papaveris lacrimæ, acaciæ, singulorum P. xvi. *, quo medicamento quidam etiam ulcera de quibus proxime dixi, renovant. Si hoc parum in condylomate proficit, adhiberi possunt

Qij

etiam vehementius adurentia. Ubi consumtus est tumor, ad medicamenta lenia transeundum est.

3º. Tertium autem ani virium est, ora venarum tamquam ex capitulo quibusdam surgentia, quæ sæpe sanguinem fundunt: *αιμόφοιδες* Græci vocant: idque etiam in ore vulvæ feminarum incidere consuevit. Atque in quibusdam parum tutò suppressit, qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt; habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, quum sanguis exitum non habèret, inclinatâ in præcordia ac viscera materiâ, subitis & gravissimis morbis corrèpti sunt. Si cui verò id nocet, is desidere in aqua ex verbénis debet: imponere maximè malicorium cum aridis rosæ foliis contrítum, aut ex his aliquid quæ sanguinem supprimunt. Solet autem ibi oriri inflammatio, maximè ubi dura alvus eum locum læsit. Tum in aqua dulci desidendum est, & id fovendum ovis, imponendi vitelli cum rosæ foliis ex passo subactis: idque si intus est, digito illinendum; si extrà, super illitum panniculum imponendum est. Ea quoque medicamenta quæ recentibus scissuris posita sunt, hîc idonea sunt.

Cibis verò in hoc casu iisdem quibus in prioribus, utendum est. Si ista parum juvant, solent imposita medicamenta adurentia ea capitula absumere. At si jam vetustiora sunt, sub auctore Dionysio inspergenda sandaracha est, deinde imponendum quod ex his constat; squamæ æris, auripigmenti, singulorum P. v. *. saxi calcis P. viii. *. postero die acu compungendum. Adustis capitulo fit cicatrix, quæ sanguinem fundi pro-

hibet. Sed quoties is suppressus est, ne quid periculi afferat, multâ exercitatione digerenda materia est. Prætereaque & viris, & feminis quibus menstrua non proveniunt, interdum ex brachio sanguis mittendus est.

4°. At si anus ipse vel os vulvæ procidit (nam id quoque interdum fit) considerari debet, purumne id sit quod provolutum est, an humore mucoso circumdatum. Si purum est, in aquâ desidere homo debet aut salsa, aut cum verbénis vel malicorio incotâ. Si humidum, vino austéro subluendum est, illiniendumque fæce vini combustâ. Ubi utrolibet modo curatum est, intus reponendum est, imponendaque plantago contrita, vel folia salicis in aceto cocta; tum linteolum, & super lana æquè deliganda, cruribus inter se devinctis.

5°. Fungo quoque simile ulcus in eâdem sede nasci solet: id, si hiems est, egelidâ; si aliud tempus, frigidâ aquâ fovendum est: deinde spuma æris inspergenda, supraque ceratum ex myrtle factum, cui paullum æris squamæ, turis fuliginis & calcis sit adjectum. Sin id hac ratione non tollitur, vel medicamentis vehementioribus, vel ferro adurendum est.

C A P U T D E C I M U M .

1°. D I G I T O R U M autem vetera ulcera commodissimè curantur, aut lycio, aut amurcâ cocta, quam utrilibet vinum adjectum est. In iisdem recessere ab ungue caruncula cum magno dolore

Q iii

consuevit: πηρόγιον Græci appellant. Oportet alii
men melinum rotundum in aqua liqueare, donec
mellis crassitudinem habeat: tum quantum ejus
aridi fuit, tantumdem mellis infundere, & rudi-
culâ miscere, donec similis croco color fiat,
eoque illinire. Quidam ad eundem usum deco-
quere simul malvam solent, quum paria pondera
aluminis aridi & mellis miscuerint. Si hac ratione
eæ non excidérunt, excidenda sunt: deinde digitæ
fovendi aquâ ex verbénis, imponendumque su-
pèr medicamentum ita factum: Chalcitis, mali-
corium, squama æris excipiuntur fico pingui le-
niter colto ex melle: aut chartæ combustæ, au-
ripigmenti, sulfuris ignem non experti par modus
cerato miscetur ex myrreo facto: aut æruginis
rasæ P. I. *. squamæ æris P. II. *. mellis cyatho
coguntur, aut pares portiones miscentur, saxi
calcis, chalcitidis, auripigmenti. Quidquid horum
impositum est, tegendum linteolo aquâ madefacto
est. Tertio die digitus resolvendus est, & si quid
aridi est, iterum excidendum, similisque adhi-
benda curatio est. Si malum non vincitur, pur-
gandus scalpello, tenuibusque ferramentis aduren-
dus is est, &c., sicut reliqua usta, curandus est.

2º. At ubi scabri unguis sunt, circum aperiri de-
bent, quâ corpus contingunt, tum super eos ex
hac compositione aliquid imponi, sandarachæ,
sulfuris, singulorum P. II. *. nitri, auripigmenti,
singulorum P. IV. *. resinæ liquidæ P. V. III. *.
tertioque id die resolvendum est. Sub quo medi-
camento virtiosi unguis cadunt, & in eorum lo-
cum meliores renascuntur.